

Herrn Hof. Rathen Bienen d. 10^{ten} Februar 1806.



27

GENERALEM
RECIDIVARVM
PATHOLOGICO-PRACTICAM
CONSIDERATIONEM

PRO
GRADV DOCTORIS

MORE SANCITO IMPETRANDO

EXHIBET

EAMQVE CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

DIE XXIX. MARTII MDCCCLXIII.

H. L. Q. S.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVBELICE PROPVGNABIT

SAWAS GORGOLIVS

NATIONE GRAECVS,

NIZNA-VCRAINENSIS.

HALAE AD SALAM,
PRELO IOANN. GODOFRED. TRAMPIL.

914

RECIDIVARVM
CONSIDERATIONEM
PATHOLOGICO-PRACTICAM

GRADVS DOCTORIS

GRATIOSI IUDICORVM ORDINIS

IN REGIA FRIDERICIANA
PUBLICA PROVINCIA

SAVAE GORGOLIVS

NATIONE GRAEVA
URBIS VINDOBONENSIS

HAEC AD CAUSAM
FRIDERICI JOHANNIS GORGOLIVS



CELSISSIMO
ATQVE
ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
CYRILLO
COMITI
DE RASVMOWSKY
SACRAE IMP. MAIESTATIS

MINORIS RVSSIAE AD VTRAMQVE BORYSTHENIS RIPAM
AC LEGIONVM TRANS CATARACTAS HETMANO,
EIVSDEMQUE CAMERARIO ORDINARIO,
ACADEMIAE IMPERIAL. SCIENTIARVM PRAESIDI
MILITVM PRAETORIANORVM ISMAILOVENSIVM PROTRIBVNO
ORDINVMQVE S^{ti} ANDREAE, AQVILAE ALBAE
S^{ti} ALEXANDRI ET S^{tae} ANNAE
EQVITI,

RELIQVA

MAECENATI OPTVMO
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

SVMMAE OBSERVANTIAE

SEMPITERNAE PIETATIS

GRATISSIMI ANIMI

PUBLICVM ET PERENNE MONIMENTVM


CONSECRAT

TANTI NOMINIS

DEVOTISSIMVS CVLTVR

SAWAS GORGOLIVS

IN ACAD. HALENSI
DIE XXIX. MARTII MDCCCXXXIII.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MORBIS RECIDIVIS.

CAPVT I.

PATHOLOGIA MORBORVM RECIDIVORVM.



§. I. Respicienti tibi, quae morborum dicuntur, accidentales differentias: has ad illas, quas stabilivit celeberr. GAVBIUS, commode revocari posse, haud magna comprehendes difficultate. Quum enim quilibet morbus non tantum ut effectus, a determinata caussa, corpori humano adplicata, productus, verum causae quoque instar, corpori inexistentis et ad certum temporis intervallum in eodem perdurantis, concipiendus veniat: sequitur, Medicum de genio huius vel illius morbi cognoscendo sollicitum, huius originem, sedem, cursum, gradum, indolem et eventum trahere in considerationem oportere. Quoniam autem morbi, quoad essentiam non diversi, horum nihilominus respectu se relinquere possunt, prouti id ex exemplis, quibus turget Pathologia, facile innotescit; atque morborum
A 3 acci-

accide tales differentiae nominantur cae, quae, salva manente natura et essentia morborum, adesse et abesse queunt: inde colligitur, ex origine, sede, cursu, gradu, indole et eventu morborum, accidentales horum differentias originem suam sumere. Atqui, si ab essentia morborum discesseris, nil est, quod, praeter hoc, in considerandis morbis cogitare posses. Quamobrem omnes morborum differentiae accidentales ex adductis momentis hauriantur necesse est. Conf. GAVBII *Instit. Patbol. medicin.* §§. 121. 842. Sed ex dictis constat simul, *omnes morborum differentias, quae inde promanant, nil esse, nisi accidentales.*

§. II.

Ea est caussarum, morbos ita, ut existant, determinantium, conditio, ut simplices nunquam, compositae semper ad procreandas corporis humani confluant aegritudines, hac quidem ratione, ut unica earum, cadens licet in hominem, hunc ad morbum quendam omnino disponat, nequitiam vero ita adfigat, ut eodem morbo statim corripiatur; volent id demonstrationes, quae in Pathologia fuisse suppeditantur. Quodsi autem hoc, ut est, extra dubium positum fuerit: poteris absque contradictione fingere, quod morbi cuiusdam, corpori aegro actu inexistentis, caussa determinans sufficiens, utpote, uti dixi, composita, ita queat mutari, ut ex una parte discedat, ex altera vero remaneat in corpore. Finge nunc reapse id contigisse, atque pone simul, nil incidisse, quod partem caussae morbificae, quae disparuit, suppleat factamque lacunam expleat: opus tum erit, ut morbus, qui adfuerat, solutus et in speciem sanatus adpareat, alias enim concedere deberes, causam non sufficientem esse sufficientem. Contingat autem, elapso non ita magno temporis spatio, ut caussa prior, evanida reddita, recedat, aut fiat, ut alia, prioris vicem suscipiens, exposito eidem corpore aegrotante, ad relictam accedat: fieri tum aliter non potest, quin qui in speciem sanatus adparebat, morbus redeat atque, postquam aliquandiu emanat, revertatur; hoc enim si negas, causam sufficientem non esse sufficientem largiaris necesse est. Quod quum sanae rationi repugnet: patet, *fieri posse, ut morbus, postquam in speciem sanatus aliquandiu emanat, denovo adoriatur.*

§. III.

Constat dein, edocente id ipsum Pathologia, quod caussae morborum genitricis haud raro ita mutantur, ut, facto unius in aliam transitu, priorem sublatam nova statim excipiat, eundem morbum sufficienter determinans.

minans. Docet id v. g. cephalalgia, a congestione sanguinis versus encephali vasa, propter inferiorum partium spasmus, concitata, quae saepe, superata quamvis feliciter spasmodum atrociam, ideo perennat, quoniam prior causa debilitatem produxerat in vasis encephali, vicem causae congestionum subeuntem. Finge itaque, casum huiusce contigisse quidem, sed ita, ut a priori enata nova causa morbi, sibi relicta, insufficientis sit ad excitandum morbum, et, ut hoc fiat, incremento quodam indigeat; fac, in hoc statu priorem causam abire: nulla tunc aderit causa morbi sufficiens, atque ideo ipse morbus ad sensum erit sublatus. Pone vero post aliquod haud ita longum temporis intervallum illud novae causae quasi supplementum addi, (poterisne enim id fingere?) causa morbi nova, antea insufficientis, sufficiens nunc evadit; nonne itaque morbus ipse denuo determinabitur? Hinc iam alio modo elucescit, quod *morbis, postquam in speciem sublatus aliquamdiu emanat, denuo adoriri possit.*

§. IV.

Quum quae adduximus §§. II. et III. non in quemlibet corporis humani morbum quadrare possint, prouti ipsae dicuntur demonstrationes: sequitur inde, differentiam quandam statui posse inter morbos ita, ut descripsimus, redeuntes, et inter eos, qui aut plane non, aut alio modo recurrunt. Quoniam autem eiusmodi differentia eventum morborum respicit, atque hinc formatae morborum differentiae accidentales sunt (§. I.), dubium non est, *quin, si vere existant, eiusmodi morbi non nisi accidentaliter ab aliis differant.*

§. V.

Recidiva, seu morbus recidivus, dicitur morbus, qui, postquam in speciem sanatus aliquamdiu emanat, denuo adoritur. Vid. GAVBIUS l. c. §. 881. Morbi itaque recidivi sua possibilitate non destituuntur (§§. II. III.) atque accidentaliter ab aliis morbis, qui non sunt recidivi, differunt (§. IV.) Horum autem morborum existentiam comprobant observationes. Conf. *Illustr. b. m. HOFFMANNI Med. rational. system.* Tom. II. Sect. I. Cap. VI. §. XIII.

Schol. Morbus recidivus caute distingui debet a morbo simpliciter recurrente, periodico, intermittente et eo, quem revocatum dicere posses. Morbus *recurrens* est morbus, qui post sui solutionem denuo redit. Qui ergo redire potest vel natura, vel arte et voluntate medentis. Si posterius: talis morbus poterit *revocatus* nuncupari. Si prius: morbus revertitur vel post plenariam sui solutionem, vel intra plenariae suae solutionis tempus. Si hoc paulo

frequentius fit; morbus vocatur *intermittens*. Si vero, aut hoc, aut illud stato semper tempore contingat: morbus dicitur *periodicus*. Facile ergo patet, quomodo a recurrente et revocato morbo differat morbus recidivus. Ab intermittente recedit in eo, quod hic plus vice simplici necessario redire debet, quo non indiget recidivus. Quid? quod de morbo, qui intermittens nominatur, constare debet, morbum intra plenariae suae solutionis tempus reverti; morbus vero recidivus ante reditum suum in speciem sanatus videatur necesse est. Neque morbus periodicus cum recidivo confundi facile potest. Illum enim necessario stato quodam tempore redire oportet, quod in morbum recidivum non cadit. Vid. PERILL. V. SWIETEN Comment. in Aphorism. BOERHAVII Tom. II. et §. 727. pag. 411. *Illustr. b. m. HOFFMANNVS l. c. §. XXXVII. Schol.* Poterit dein etiam morbus periodicus post plenariam sui solutionem recurrere, quod non aequè valet de morbo recidivo. *Confer. Illustr. b. m. HOFFMANNVS l. c. §. XIII.* Quod tandem nostra ex GAUBIO desumpta recidivae definitio cum usu loquendi recepto conspiret, ulterius demonstrare non opus esse censeo. Cuius vero interest, exactius hoc noscere, adeat, si lubet, Medicorum monumenta, inprimis autem loca, a nobis allegata.

§. VI.

Quum morbus recidivus sit is, qui, postquam in speciem sublatus aliquamdiu cessavit, denuo aggreditur (§. anteced.); huius vero generis morbus, actu praesentibus conditionibus §§. II. III. gignatur: inde colligitur, necessarium reddi morbi recidivi ortum, quamprimum causa morbi cuiusdam sufficiens vel ita diminuitur, ut plane sublata esse videatur, dein vero hac denuo ratione paullo post adaugeatur, ut eiusdem morbi causa evadat sufficiens, vel hoc modo immutatur, ut factò illius in aliam transitu, haec quidem, per se sumpta, insufficientis plane ad producendum morbum existat causa, accedente autem, brevi elapso tempore, novo incremento, nunc demum de novo eundem morbum, qui antea corpori aegro inhaerebat, et sanatus iam adparebat, sufficienti ratione excludat. Quoniam porro quilibet morbus recidivus in speciem ablatus videri debet: necesse est, ut pars causae, illum determinantis, corpori adhuc eo tempore inexistat, quo idem evanuisse putatur. Unde patet, partem causae morbificae, quae tum remansit, oportere vel ad causam priorem, vel ad novam, ab illa provocatam, referri. Quam ob rem quae adduximus §§. II. III. momenta non solum ad recidivam efficiendam sufficere possunt, sed unum eorum, aut alterum necessario adesse debet, quando actu procreatur recidiva. Hinc etiam omnes huius causae apprime possunt ad ista momenta revocari, ita, ut omne, quod iisdem convenienter non agit, recidivae causa existere nequeat.

§. VII.

§. VII.

Si morbi cuiusdam causa sit materia fluida, quae ulterius se propagare potest: sequitur, si et minima eius pars in corpore relinquatur, aegrum recidivam pati oportere. Pone enim, minimam portionem eiusmodi materiae corpori adhuc inhaerere; opus est, ut symptomata, inde suscitata, sint infinite parva, quae itaque, utpote sensuum acie superiora, observare Medicus nequit. Nonne propterea morbum sanatum esse iudicabit? Verum enim vero haec materia ita per hypothefin comparata est, ut sui similes producat. Hinc, quae eius minima portio restat, brevi interiecto temporis intervallo fit notabilem sibi ex asse respondentis materiae procreabit copiam, cuius iam effectus sensus incurrent. Morbus hac ratione excitatus, oritur a materia, cuius natura cum materiae antea praesentis essentia convenit. Atqui ab una eademque causa idem quoque proficiscitur effectus. Ergo morbus, sic enatus, cum illo, qui antea adfligebat, eandem habebit naturam atque morbus eiusdem genii erit. Quod si ea propter materia quaedam, quae ulterius se propagare potest, causa est morbi cuiusdam, atque hic hoc modo curatur, ut minima tantum illius non eliminata portio in corpore relinquatur: oritur tum exinde morbus idem, postquam in speciem sanatus aliquamdiu emanfit, hinc prioris recidiva (§. V.). Ex quibus propositionis elucefcit veritas.

§. VIII.

Si post sublatam humorum nimiam abundantiam, aut spissitudinem, aut acrimoniam, notabilis solidorum remanserit debilitas: facile tum fit, ut prior morbus recidivae instar redeat. Fluida corporis humani per canales vehuntur inque hos agunt, unde vasa ipsa ad proportionatam sui contractionem et in fluida reactionem stimulantur. Quum iam finita sit vasorum omniumque solidorum potentia, atque hoc inter alia a determinata fibrarum elementarium cohaesione pendeat: sequitur, ut, si resistentia fluidorum nimium increseat, aut cohaesio fibrarum valde diminuatur, debilitas in vasis produci debeat. Atqui fluidorum et abundantia et spissitudo nimia efficit non solum, ut eorum erga solida resistentia plus iusto invalescat, verum etiam, ut solida nimium distendantur, atque hinc cohaesio elementorum nimium diminuatur. Ergo utrumque fluidorum vitium solidorum gignere valebit debilitatem. Notum porro est ex Physiologia, quod corporis nostri solida continua, ut illorum conservetur robur, egeant nutritione, lymphae nutritiae ope peragenda. Sed ab acrimonia humorum facultas lymphae, partes nutriendi, destruitur. Quamobrem nullum est dubium, quin etiam

B

acri-

acrimonia fluidorum' causa debilitatis in solidis existat. Sed debilitas, a causis haecenus recensitis pronata, non necessario cum morbo ipso tollitur, ut quilibet facile perspicit. Hinc iam patet, quod sublati licet enarratis morbis, solidorum nihilominus notabilis adhuc perdurare possit debilitas. Eiectis sic iis, quae, ad ostendam hypotheseos possibilitatem, praemitti debebant: ponamus primo, post sublatam nimiam humorum abundantiam, insignem quandam in corpore quodam remansisse debilitatem, huiusque attendamus effectus. Ex praeceptis, quae Physiologia enuntiat, constat, se- et excretionem ideo quoque in corpore humano contingere, ut fluidorum quantitas, alias nimium captura incrementum, imminuatur. Cohibitae ergo se- et excretionem id necessario causari debent, ut humorum quantitas statui sanitatis minus convenienter adaugeatur. Quoniam autem, tradente hoc Physiologia, ad se- et excretionem rite perficiendas congruus sanguinis adplus, hinc robur vasorum requiritur; debilitas vero vasorum horum robori opposita est, atque divisionem globulorum sanguineorum in minores impedit: nullum est dubium, quin solidorum debilitas se- et excretionibus obicem ponat, consequenter ortui nimiae humorum abundantiae faveat. Praeterea insignis est fluidorum excernendorum copia; per solam enim transpirationem insensibilem plus quam dimidia pars assumptorum eliminatur. (SANC TORII Medic. Static. Sect. I. Aph. VI.). Quodsi itaque se- et excretionem diminuantur: facile tum fit, ut etiam brevi temporis spatio humorum copia plus iusto adicendat. Quamobrem notabilis solidorum, post sublatam nimiam humorum abundantiam restitans, debilitas efficere valet, ut, qui integre sanatus adparebat, morbus aliquandiu post recurrat, sicque recidivam constituat (§. V.). Quodsi dein fingamus, eandem debilitatem post sanatam spissitudinem humorum relictam fuisse: causa simul concipitur, quae et resolutionem humorum, et motum illorum impedit. Atqui ea est fluidorum nostrorum conditio, ut, nisi continuo dissolvantur et moveantur, facile concreseant et cohaesionem ineant maiorem, quam ut cum eadem status sanitatis consistere possit. Ergo debilitas solidorum causa est spissitudinis humorum. Quum autem effectus causae suae semper sit proportionatus: sequitur, spissitudinem humorum eo facilius eoque breviori tempore a debilitate oriri, quo maior est, qui obtinet in corpore quodam, debilitatis gradus. Hinc remanentem, post remotam spissitudinem notabilem, solidorum debilitatem recidiva illius excipere facile potest. Ad tertium denique accedamus casum! Quae excernuntur secreta corporis humani fluida omnia

omnia ferme acedine notabili sunt imbuta. Patet id ex sudore, urina et s. p. Facta itaque excretionis huiusmodi fluidorum sufflamine, ingens materiae acris copia remaneat in corpore necesse est. Verum debilitas solidorum impedit, quo minus excretiones rite succedant (per anteced.). Opus consequenter est, ut eadem causa sit, acrimoniam fluidorum determinans. Nonne itaque notabilis post curatam fluidorum acrimoniam perdurans solidorum debilitas illius recidivam producere valebit? Accedit, quod, praesente viscerum debilitate, sanguificatio laedatur, quam laesam numquam non presso pede subsequi solet acrimonia. Certo certius ergo est, quod enuntiavimus, assertum.

Verum quidem est, quod effectus, solidorum debilitati in Spho adscripti, aliis quoque modis inde nasci possint. Nolui tamen iisdem immorari, idque ideo praecipue, quoniam in eiusmodi casibus lentius paulo producuntur. Sic v. g. acrimonia fluidorum ab eorum spissitudine et abundantia, utpote effectibus, a debilitate pendentibus, generatur; sed lento tantum gradu. Quare etiam recidivae origo inde vix derivari potest.

§. IX.

Tenuitas nimia, congestiones, stases, orgasmi, extravasationes et excretionis humorum nimiae, ob relictam solidorum eximiam debilitatem recidivarum instar recurrere possunt. Tenuitas humorum nimia nutritionem partium solidarum impedit (per Pathol.), hinc debilitatem causatur (per princ. Physiol.). Congestiones, stases, orgasmi et extravasationes fluidorum auctam sibi vindicant in vasis et locis, quae adficiunt, fluidorum quantitatem (per Pathol.); haec vero rationem debilitatis in se continet (§. ant.). Ergo isti quoque morbi debilitati solidarum corporis humani partium favere queunt. Quum tandem deficiens humorum quantitas causis debilitatis accensenda veniat (vid. *Perill.* v. SWIETEN I. c. §§. 661. 662.): necesse est, ut excretiones humorum nimiae solidarum post se trahant debilitatem. Ipsa nunc propositio demonstrari potest. Tenuitas humorum nimia ab aequali, in iisdem contenti, principii iusto maiori copia originem suam sumit, prouti id in Pathologia evincitur. Fluida, quae excernuntur, serosa, ingentem aquae in sinu sovent quantitatem (per Physiol.), eorundem ea propter male succedentes excretiones nimiam humorum determinabunt tenuitatem. Verum solidorum debilitas excretionem reddit languidas (§. ant.). Fieri consequenter potest, ut, quam produxerat tenuitas humorum nimia, debilitas, causa evadat recidivae, si in corpore illa diutius haereat. Congestiones ab abundantia, spissitudine

et acrimonia humorum oriri possunt, adque illa diriguntur loca, in quibus resistentia minima est (per Pathol.). Loca debilia minus resistent, et illa modo dicta fluidorum vitia sat cito a debilitate determinantur (§. ant.). Hinc a propulsis congestionibus relicta solidorum debilitatem congestionum sequentur recidivae. Quum stases humorum a caussis, congestionum caussis similibus, pendeant (per Pathol.): de iisdem idem, quod modo de congestionibus diximus, valebit. Orgasmi generatim validius, in corpore haerens, irritamentum pro sua causa agnoscent (per Pathol.); hinc modo auctam in his vel illis vasis resistentiam, vel veram quandam acrimoniam, fluidis inexistentem. Debilitas solidorum recidivas congestionum, stasium, nimiae humorum copiae, spissitudinis et acrimoniae generare valet (§. anteced. et ant.). Nullum itaque poterit esse dubium, quin idem solidorum vitium, a profigatis orgasmis enatum et relictum, horum recidivae ortui inserviat. Extravasationum caussae possunt esse: tenuitas humorum nimia, atque omne id, quod congestiones, orgasmos et stases procreat. Horum autem morborum recidivas relicta ingenerare potest solidorum debilitas (per anteced.). Quae itaque extravasationum quoque efficiet recidivas. Ad excretiones denique humorum nimias quod attinet: illarum, perhibente ita Pathologia, caussae sunt: ingens debilitas, massa fluida nimis resoluta, acrimonia humoris rodens, omne denique, quod congestiones, orgasmos et stases gignit. Quod ergo relicta ab enormibus humorum excretionibus solidorum debilitas causari queat, ut earundem contingant recidivae, extra omnem dubitationis aleam mihi positum esse videtur.

§. X.

Relicta in partibus solidis debilitas dislocationis partium, rupturae et nimiae contractionis recidivam efficere valet. Notum est, quod solidae corporis humani partes, ne e situ suo naturali removeantur, ab aliis retineantur. Quodsi itaque hae ita debilitentur, ut illarum motui resistere amplius nequeant: necesse tum est, ut dislocatio quarundam partium contingat. Debilitas ergo partium solidarum recidivam dislocationis aliarum producere potest. Pars debilis facile rupturam patitur (*Perill. v. SWIETEN l. c. T. I. §. 26. p. 26.*). Nonne solutio haec inde longe facilis oborietur, quando antea iam adfuit ruptura? Quod quum in dubium vocari nequeat: sequitur, debilitatem causam esse, recidivam rupturae determinantem. Quoniam tandem nimia solidarum partium contractio ab abundantia, spissitudine, acrimonia, congestionibus, stasibus, orgasmis, extra-

extravasationibus nimis que humorum excretionibus originem suam sumunt (per Path.); horum vero morborum recidivae a relicta solidarum debilitate proficiscuntur (§§. VIII. IX.): opus est, ut concedas, solidorum debilitatem resistentem, recidivam nimiae solidarum partium contractionis provocare posse. Quod autem post recensitos morbos debilitas perennare queat, ex eo liquet, quod exinde debilitas generari ita possit, ut non necessario cum morbo ipso profligari debeat (per Pathol.).

§. XI.

Si solidarum debilitas, a vitio nutritionis enata, post haec curata perduret: eadem vitia recidunt necesse est. Omnia nutritionis vitia revocari possunt vel ad defectum, vel ad excessum nutritionis. Quoniam a nutritione robur partium solidarum pendet (per Physiol.), atque cum excessu nutritionis modo laxitas, modo nimia partium distensio connexa est (per princ. Pathol.): tam defectus, quam excessus nutritionis debilitatem solidarum efficit. Quum autem utrumque vitium curatum esse possit, licet debilitas in corpore locum adhuc obtineat: patet, solidarum debilitatem ita a vitio nutritionis enasci posse, ut post haec curata perduret. Pone itaque primo, defectum nutritionis adfuisse, indeque praesentem adhuc debilitatem productam esse. Docetur in Pathologia, omnem nutritionis defectum vel a lymphae deficiente, vel a lymphae corrupta, vel a motu lymphae nimio versus aliam partem, vel denique a partibus nutriendis, aut vasibus, parti cuidam materiam nutritiam invehentibus, obstructis, compressis, contractis, collapsis, concretis, ruptis et erosis, originem suam ducere. Atqui debilitas solidarum determinare valet excretionum excedentium, spissitudinis, acrimoniae, congestionum, stasium, rupturae recidivae (§§. VIII. IX. X.). Ergo defectus nutritionis ob remanentem inde debilitatem recidivet necesse est. Finge dein, idem solidarum vitium ab excessu nutritionis relictum fuisse. Hic vel universalis est, quando in toto corpore, vel particularis, quando in hac vel illa tantum parte obtinet. Ille solidarum laxitatem, coniunctam cum abundantia lymphae nimiae, pro causa agnoscit; hic vero modo ab insigni partis cuiusdam solidae debilitate, modo ab iis causis, quae in aliis partibus deficientem inducunt nutritionem, proficiscitur (per Pathol.). Nunc autem abundantia humorum, et causae, deficientem in una corporis humani parte procreantes nutritionem, ob relictam partium solidarum debilitatem recidunt (§. VIII. et anteced.). Hinc, quam reliquit nutritionis excessus, debilitas illius recidivae

cidivae causa existere debet. Ex omnibus nunc allatis, asserti nostri elucefcit veritas.

§. XII.

Quilibet morbus sua habet symptomata, quae effectuum inde proventientium instar consideranda veniunt. Quum iam causa causae sit etiam causa causati: sequitur, ut causa morbi sit etiam causa symptomatum, quibus stipatur morbus. Quamobrem solidorum debilitas, relicta post morbos, quorum mentio §§. VIII. seqq. iniecta est, recidivam omnium symptomatum, ab his morbis necessario oriundorum, determinabit (§§. cit.). *Qui ergo excrescentiis, spasmis, paralyfi, convulsione, haemorrhagiis, inflammationibus, tumoribus, exanthematibus, obstructionibus, compressionibus, extensionibus, concrecentiis, distensionibus, collapsentia, depletionibus vasorum, luxationibus, ulceribus, bernia, polyptis, tussi, catarrhis, doloribus, dyscrasia humorum, mollitie solidorum nimia, morbis ventriculi, intestinalium, sensuumque tam in quam externorum, febribus laboravit, is, ob relictam in corpore debilitatem, eorundem recidivam pati potest.*

Quae morborum symptomata non necessaria, sed accidentalialia sunt, ea a morbo ipso abesse possunt, salva manente illius essentia. Quam ob causam debilitas solidorum, licet recidivas morborum §§. cit. designatorum efficiat, non necessario tamen horum accidentalium symptomatum recidivas determinat. Patet exinde ratio, cur in Spho. de necessariis tantum symptomatibus dictum sit, quod ob relictam debilitatem recidunt. Liqueo vero ex hactenus dictis simul, quod ipsa debilitas solidorum, ex parte relicta, facile efficiat, ut prior debilitatis gradus recidivet.

§. XIII.

Rigiditas solidorum recidivae multorum morborum ansam praebere potest. Quum enim rigida fibra dicatur ea, cuius partes minimae arcte, mediante glutine, inter se cohaerent (*per illustr. v. Swieten l. c. T. I. §§. 31. 21.*): opus est, ut actio solidorum rigidorum in fluida contenta valde languescat atque ita tandem, ut demum impermeabilia reddantur vasa, rigiditate adfecta. Hinc vero non solum saevissima fluidorum vitia, sed et plurimae solidarum partium morbosae affectiones proficiscuntur (*per Pathol.*). Rigiditas ergo solidorum, multorum morborum erit scaturigo. Consequenter nullum est dubium, quin eadem, ab hoc, vel illo morbo relicta, huius recidivae ansam praebere possit. Quodsi autem paullo attentius consideraveris, qui rigiditatem relinquere possunt, morbos; reperies, fat

fat magnam esse aliorum, ex his oriundorum, catervam, Quamobrem etiam solidorum rigiditas multorum morborum recidivis harumque ortui infervit.

§. XIV.

Datur, ut docet Pathologia, solidorum debilitas, ab impedito fluidi nervi influxu pendens (*Perill. v. SWIETEN l. c. T. II. §. 660 seqq. T. III. §. 1060.*) Quum haec debilitatis species modo cum laxitate, modo cum rigiditate solidorum connexa fit: sequitur, *de illa eadem passim dicenda esse, quae de laxitate et rigiditate in antecedentibus notavimus.*

§. XV.

Nullus solidorum morbus recidivus fieri potest, nisi corpori aegro aut debilitas, aut irritamentum insit. Omnis solidorum morbus, hinc et recidivans, erit vel particularis, vel universalis. Ille manifesto laesionem huius vel illius partis corporis humani sibi vindicat, alias enim non esset particularis. Si itaque eiusmodi particularis morbus effici debet: requiritur, ut causa quaedam morbifica in hanc potius, quam in aliam partem agat. Sed omnis morbi causa vel in corpore haeret, vel extra illud existit. Quodsi iam morbus quidam solidorum particularis ab eiusmodi causa determinandus sit, quae in corpore haeret: necesse tum est, ut praeter eandem alia adhuc adsit, quae efficit, ut determinatae potius parti, quam alii inde damnum quaecumque inferatur. Cumque hoc fieri nequeat, nisi causa quaedam affluxum materiae morbificae ad determinatam hanc partem caussetur; hic vero vel a debilitate partis, vel ab irritamento quodam eidem inhaerente producat: colligitur inde, quod, si morbus quidam particularis a causa ipsi corpori inexistente oriri debeat, opus sit, ut vel debilitas, vel irritamentum corpori simul insit. Quod cum in genere de quocumque solidorum morbo particulari valeat, in recidivam eiusmodi morbi aequa ratione quadrabit. Erit nunc alter casus diiudicandus, quando nimirum recidivae causa, ut extra corpus existens, concipitur. Causa morbi, extra corpus existens, vel violenta est, vel ita comparata, ut ad res non-naturales referri queat. Vtraque vero non nisi tum causa existere potest recidivae, quando in corpore ipso causa quaedam morbi recidivantis simul concurrens continetur (§. VI.). Si ergo ob causam externam morbus solidorum particularis recidivat: necesse est, ut ad externam alia interna concausa accedat. Concausa haec vel ita agit, ut materiam nocentem ad peculiarem quandam partem corporis humani

humani ducat, vel augendo vim materiae externae nocentis actionem exerit suam. Si prius: vel irritare, vel debilitare debet (per anteced.). Quodsi vero vim nocentis materiae augeat: ita in partem afficiendam agere debet, ut causae morbificae impetui minus resistere possit eiusmodi pars. Quod cum fieri nulla ratione queat, nisi causam quandam producendi morbi parti laedendae inferat, cumque haec causa iterum aut debilitatem partis, aut irritamentum, quo stimulatur eadem pars, sibi vindicet (per ant.): constat, concausam causae externae, recidivam morbi solidi particularis excitantis, vim causae externae augmentem, eodem modo, uti de priori ratione agente diximus, vel aut debilitatem, aut irritamentum requirere, vel in his consistere. Evicimus hinc generatim, morbi solidorum particularis recidivam impossibilem esse, nisi corpori aegro aut debilitas, aut irritamentum insit. Idem nunc longe facilius, his praemissis, de morbis solidorum universalibus demonstrari potest. Eiusmodi enim morbos curatius contemplanus reperies, eosdem vere, respectu suae originis, esse particulares. Docet id epilepsia, apoplexia, febris, etc. Consequenter in morbos solidorum universales horumque speciatim recidivas, allata quadrabit proposito, cuius itaque universalitatem iure non poteris negare.

§. XVI.

Neque morborum, quos proprie fluidorum dicunt, sine his determinationibus (§. anteced.) possunt recidivae contingere. Fluidorum morbi sunt: nimia tenuitas, spissitudo, abundantia, inopia, motus morbosus, acrimonia. Quodsi ergo de his omnibus evinci potest propositio: haec universaliter erit veritati consentanea. Tenuitas humorum nimia oritur ab abundanti principio salino resolvente, ab excretionibus naturalibus, ferosis potissimum, languescens, ab enormi potuum tenuiorum usu, cui excretiones non respondent. Quoniam nunc principium salinum abundans irritamenti instar agit, atque excretiones naturales absque solidorum morbo sufflamini nequeunt: recidiva nimiae humorum tenuitatis sine praesente in corpore aut debilitate, aut irritamento contingere non potest (§. ant.). Nimiam humorum spissitudinem inducunt vasa debilia et assumta incrassantia, quae vim vasorum elidunt. De spissitudinis recidiva ergo idem, quod de nimiae tenuitatis recidiva modo diximus, valebit. Abundantia humorum nimia efficitur, usu ciborum potuumque nimis nutritium, excretionum magnitudine non proportionata, et excretionibus naturalibus languescens. Quum excretiones naturales languescens modo

modo debilitatem, modo irritamentum supponant (per ant.), necesse est, ut etiam abundantiae humorum recidiva aut debilitatem, aut irritamentum corpori inexistens, sibi exposcat. Inopia fluidorum proficiscitur ab excretionibus excedentibus. Excedentes excretiones nequeunt sine solidorum vitio suboriri. Nonne itaque recidiva inopiae requirit, ut debilitas, aut irritamentum adlit (§. ant.)? Motus fluidorum morbosus est, quando fluida vel tardius, vel celerius, quam fas est, moventur, vel quae quiescere non debebant, quiescunt, vel diutius quam par est, motu destituuntur, vel denique in loca progrediuntur, in quae, vigente sanitate, transire non debent. Si fluida tardius, quam fieri oportebat, fluunt: vires, fluida protrudentes, languescunt, hinc debilitas obtinet. Si vero celerius promoventur: caussa, solida stimulans validius, adlit necesse est, hinc irritamentum. Si fluida movenda quiescunt: vires fluidorum motrices languidae esse debent, debilitas ergo in hoc quoque casu obrinebit. Si vero fluidorum quorundam quies diutius, quam cum sanitate consistere potest, durat: vasa, quae dicuntur, absorbentia vitio laborare debent, quo in casu vel debilitas, vel irritamentum praesens erit (§. ant.). Quodsi tandem fluida in loca aliena abeant: caussa adesse debet, quae vel fluida valde attenuat, vel solida solvit. Vtrumque aut debilitationem, aut irritamentum supponit (per anteced.). Recidivae itaque vitiorum, fluidis respectu motus competentium, sibi aut debilitatem, aut causam irritantem vindicant. Acrimonia humorum pendet vel a materiae salinae praesentia, consequenter ab irritamento, vel a motu fluidorum quomodocumque vitioso, de quo mox ostendimus, eundem aut debilitatem, aut irritamentum supponere. De omnibus ergo fluidorum vitiosorum recidivis demonstravimus, quod in eadem propositio enuntiata cadat. Vnde etiam iure quodam nostro ad illius concludimus universalitatem.

Brevius adhuc hoc modo enodari potuisset propositio. Omnis fluidorum morbus postulat, ut solidis vitium quoddam inhaereat. Nunc recidivae morborum, quos solidis adscribimus, aut debilitatem, aut irritamentum requirit (§. anteced.). Ergo etiam recidivae morborum fluidorum easdem causas, in corpore praesentes, praesupponunt. Ne praeterea de confirmatis Spho hoc et anteced. thesibus ullo dubites modo: audi, si lubet, quae de causis morbi recidivi dicit celeberr. GAVBIVS (l. c. §. 881.): *Materies morbi haud prorsus devicta vel expulsa, debilitas, irritabilitas, torpor, a priori morbo relicta, una cum evitatione potentiarum nocentium neglecta, recidivas parere solent.* Sola itaque debilitas solidorum vix sufficit. Quod autem haec, cum irritamento coniuncta, sufficiat ad recidivae huius vel illius morbi ortum explicandum,

id ipsum non tantum ex evictis liquet, sed magis quoque conflabit, quando inferius id in exemplis ostendendi nacti erimus congruam occasionem.

§. XVII.

Elucescit ex iis, quae in superioribus de irritamento et debilitate diximus (§§. VII. seq.), quod inde sufficienter nonnunquam recidiva suscitari possit; testatur vero experientia, idemque suadet ratio, quod saepe tam irritamentum, quam praesens solidarum debilitas, non nisi insufficientes sint recidivarum causae determinantes; quo itaque in casu alia adhuc, suscitans debilitatem et irritamentum, accedere causa debet, cuius respectu praedisponentes causae erunt debilitas et irritamentum (*celeberr. GAUVIUS l. c. §. 59.*) Vnde patet, *debilitatem, aut irritamentum modo sufficientis, modo praedisponentis causae in producendis morborum recidivis subire vicem.*

§. XVIII.

Demonstratur in Diaetetica, quanta sit rerum non-naturalium, in conservanda laedendave corporis humani sanitate, potestas. Incongruus ergo rerum non naturalium usus morborum ortui inservire potest, idque tum praecipuis, quando corpus ex quacunque causa iam laesum est. Quum, sublato licet morbo, nihilominus in corpore aegrotantis laesio remaneat (per Pathol.): sequitur, vitia circa rerum non naturalium usum commissa, morbo vix superato, facile gravem corpori inferre labem. Nonne itaque *ab incongruo rerum non naturalium usu recidivae excitari possunt?*

Huc etiam medicamenta ingesta, aut remedia adplicata referri possunt, quae BOERHAAVIUS (Instit. medic. §. 744.) numero rerum non naturalium accenset.

§. XIX.

Quando causa quaedam, connexa cum debilitate, aut irritamento, corpori, in quod illa agit, inexistens, morbum, per aliquod tempus evanidum factum, reducit: eiusmodi causa procul dubio erit causa morbi recidivi (§§. V. XVII.). Atqui causae, quae dicuntur, violentae ita nonnunquam in corpus nostrum agere possunt, ut morbum quendam, quem sibi relictas non determinassent, accedente sive debilitate, sive irritamento in eo, quem adfigunt, praesente, producant (per Observat.). Ergo exinde concludimus, quod *causae etiam violentae causis recidivarum adnumerari possint.*

Schol.

Schol. Non omnis causa violenta causis recidivarum accensenda venit, licet facilius fiat, ut eundem morbum, qui ante aliquod tempus adfuerat, determinet. Quodsi enim singas, hominem ad haemoptysin valde dispositum ob debilitatem, pulmonibus a praeterita haemoptysi inductam, ab alio circa pulmones vulnerari: recurret procul dubio haemoptysis. Quum vero talis haemoptysis morbus recidivus dici nequeat (§. V.); neque causa violenta, quae in pulmones egit, causa erit morbi recidivi. Fac vero, hypochondrium sinistrum eiusmodi haemoptysici, sanata vix haemoptysi, contundi, indeque haemoptysin recrudescere: tum contusio, tamquam violenta causa, sine dubio causa erit recidivantis haemoptysios; nisi enim insignis quaedam debilitas, a praegressa haemoptysi, illata pulmonibus fuisset, vomitus potius eruentis, non vero haemoptysis, esset productus. Ex unico hoc exemplo sufficienter veritas propositionis, in spho allatae, perspicui potest, ut itaque plura adducam non est necesse. Cautè tamen procedendum est, quando in casu quodam obvio quaestio suboritur: an admitta causa violenta, vera sit recidivae causa? Fieri enim potest, ut violenta eiusmodi causa ob accidentales quasdam res circumstantes recidivam producat, v. g. ob animi pathema inde accensum, quo in casu quam maxime errares, si violentiam externam causam recidivae nuncupare velles. Ne ergo circa hanc rem vitium committatur: opus est, ut violentae causae accidentales determinationes, a necessariis, a Pathologo rite discernantur, licet lubens largiar, non minima id difficultate saepius premi. Sed mihi ostendisse sufficit, quod violentae causae numero causarum, morborum recidivorum ortui faventium, sint neutiquam excludendae.

§. XX.

Quum debilitas et irritamentum, ad excitandas morborum recidivas, alia saepe causa, simul agente, indigeant (§. XVII.); haec vero causa accedens interna esse possit: sequitur, quaecumque morbi causam internam, cum debilitate et irritamento coniunctim in corpus vix restituti aegri agentem, praeteriti morbi recidivam efficere posse. Verum id, quod morbum efficere potest, causa est huius morbi possibilis. Ergo *omnis causa morbi interna eo, quem descripsimus, modo agens, causa erit morbi recidivantis possibilis.*

§. XXI.

Quaelibet recidivae causa sufficiens, erit vel debilitas, aut irritamentum relictum, vel ita comparata, ut cum his connexa morbum recidivum sufficienter determinet (§§. XV. XVI. XVII.). Quodsi ea propter causae recidivarum, de quibus (§§. XVIII. XIX. XX.) locuti sumus, recidivas actu progignant: requirunt semper, ut vel debilitatem, vel irritamentum

habeant comitem. *Sunt ergo recidivarum causae occasionales (celeberr. GAVBIUS l. c. §. 59.). Quum autem sine his causis morbi cuiusdam recidiva contingere possit (§. XVII.): morborum recidivas a debilitate et irritamento absque aliis causis occasionalibus gigni sufficienter posse, concedas necesse est.*

§. XXII.

Datur in Pathologia evictum, quod pro ratione rerum naturalium et consuetudinis, cui subiectum quoddam addictum est, morborum quorundam enascatur differentia, ita, ut subiectum, cuius robur, temperamentum, aetas, sexus et consuetudo, a robore, temperamento, aetate, sexu et consuetudine alterius recedit, morbos quosdam concipiat, ad quos hoc longe minus pronum reperitur. Quoniam nunc recidivae, morborum subeunt numerum: verum est, quod *res naturales una cum consuetudine corporis recidivas morborum modo facilitare, modo impedire queant. Patet hinc generatim, cur subiecta debilia et quae valde irritabilem naturam nata sunt, prae robustis et insensibilioribus, recidivis morborum succumbant? cur sexus sequior, aetas puerilis et senilis, cholericus et sanguinei, vitamque mollem exercentes, prae aliis, recidivis adstantur?*

Hactenus dicta cuiusque, de generali recidivarum aetiologia tantum sollicito, sufficere possunt. Exinde enim non solum verus recidivarum ortus patet, sed cognoscitur quoque, ex quibusnam fundamentis causarum, recidivas determinantium, deducenda sit magnitudo? Ne vero in mere generalioribus, quorum non sine ratione parum aestimatur utilitas, acquiescere videar: conabor iam, quantum id n. ei instituti ratio permittit, ad specialiora descendere, sicque eorum, quae diximus, in exemplis demonstrare veritatem. Ordo requirit, ut theses quaedam, ex ante allatis promanantes, praemittantur.

§. XXIII.

Omnis morbus in se spectatus recidivus fieri potest. Ab omni enim morbo, ut edocet Pathologia, solidorum relinquatur debilitas; fit vero etiam saepe numero, ut irritamentum quacunque ex causa remaneat. Nunc debilitas haec relictumque irritamentum vel sufficientes erunt recidivae praeteriti morbi causae (§. XVII.), vel non. Si prius; talis morbus omnino recidivus fit; posita enim causa sufficiente morbi, ponitur ipse morbus. Quodsi vero posterius, uti plerumque, obtinet, affirmare tum sine contradictione possumus, quod causa morbi, hoc vix sublato, ita recrudescere, aut enasci possit, ut, ad debilitatem et irritamentum accedens,

dens, sufficientem demum vix excussi morbi praebat causam. Quamobrem omnis morbus, in se spectatus, recidivus fieri potest.

§. XXIV.

Debilitas et irritamentum recidivarum causae sunt vel sufficientes, vel praedisponentes (§. XVII.). Sed quo maior est morbi causa sufficiens, aut praedisponens, eo facilius exoritur morbus. Vt itaque morbi, qui maxime notabilem solidorum debilitatem, aut irritamentum, quod facile se propagat, relinquunt, aliis, caetera si eadem fuerint, recidivent facilius, concedas necesse est.

§. XXV.

Concipe, unum eundemque morbum et robustam et debilem corporis humani adfigere partem: in utraque tum debilitas relinqui debet (per Pathol.). Quum morbus idem fingitur: debilitas, quam hic determinat, in utraque parte erit aequalis. Quoniam autem plures debilitatis gradus in debili parte iam ante morbum obtinebant: sequitur, debilitatem, a morbo in parte debili praesentem, illam excedere, quae eodem morbo, postquam robustam occupaverat partem, profligato in hac restitat. Morbi itaque, qui natura debiles corporis humani adfigunt partes, iis, qui robustis inhaerent, recidivant facilius (§. anteced.).

§. XXVI.

Conflatur ex his (§. anteced.), morbos cerebri, pulmonum, uteri, glandularum, conglobatarum praecipue, ut et systematis venae portarum, facile fieri recidivos. Quapropter etiam morborum, ex illis oriundorum, recidivae facile contingere debent.

§. XXVII.

Gonorrhoeae virulentae, Luis venereae, canceri, scorbuti, scabiei, februm exanthematicarum, imperfecte iudicarum, recidivae possibiles sunt. Docuerunt scilicet observationes, quod recensitorum morborum ea sit natura, ut, quae eosdem excludit, materialis causa, modo immediato, modo mediato contactu similem morbum in subiecto, antea ad ipsemet sano, gignere valeat. Quum morbus idem in quolibet, quod tenet, subiecto ab una eademque causa materiali subnauci debeat: necesse est, ut antea dictorum morborum causa materialis ulterius propagare se queat. Quodsi propterea pars, minima quoque, huius materiae in corpore adfecto residua maneat, aut causa quaecunque alia relinquatur: morbus recidivus fieri potest (§§. VII. XX.). Vera hinc est propositio.

I. De Gonorrhoeae malignae, ut et luis venereae recidiva, digna est, quae conferatur, immortalis SYDENHAMI Epistola, de Luis venereae historia et curatione ad Henr. PAMAN. Disserens enim p. m. 208. feqq. de gonorrhoeae virulentae curatione, monet, cathartica remedia (in quibus omnem curationis cardinem verti indicat) satis diu usurpanda esse, tam diu scilicet, donec humor, ex urethra stillare solitus, prorsus evanescat. Quibus notabilia haec subiungit verba: *Quamvis vulgo affirmetur, quod eiusmodi icor, qui, ardore urinae et flavo materiae exstillantis colore disparescens, mane praesertim in summitate colis, digitis compressi, ad guttulam unam virosi fomitis in eis moram, oriatur, miseri tamen experiuntur magno suo malo, reliquias has esse contagii non penitus delati; quod licet quadantenus subactum, ex levissima quaque occasione (a potu scilicet nimio, aut exercitio quolibet vehementiori, aut simili alia) novas excitat tragoedias, gonorrhoea postliminio recrudescente. Damnat in subsequens adstringentium et lignorum exsiccantium usum, quum inde gonorrhoeae possit recidiva contingere. Quando etiam ob idiosyncrasiam aeger respuit cathartico-rum repetitum usum: concedi tum quidem posse enematum usum dicit, hac vero ratione, ut diebus, ab usu clysterum liberis, cathartica per os assumantur, ne quaedam contagiosi fomitis particula in visceribus haereat, novos datura tumultus. Recidivas luis venereae tam frequentes potissimum ab usu cathartico-rum et lignorum decoctis deducit SYDENHAMVS, quatenus nonnulli hisce remediis pyralismi iam abituri, et mox evanituri reliquias, vel deducere, vel exsiccare volunt (l. c. p. 213.); suam vero medendi methodum recidivae ortui obicem ponere gloriatur (l. c. p. 217.). Concessit itaque SYDENHAMVS, tantae auctoritatis vir, quod gonorrhoeae virulentae et luis venereae recidivae possibiles sint. Canceri recidivas contingere, his verbis testatur M. BOERHAVIUS (*Aphorism. de cognosc. et cur. morbis* §. 504.): *Ni enim cum radice et semine integre exstirpari queat, asperabitur, ad interiora recurrit, alios generat, factos auget.* (Vid. *Perill. v. SWIETEN Comment. ad hunc et 501. §.*) Trahi huc etiam possunt *Illustr. b. m. HOFFMANNI* verba: *Scimus, quod mamma una exstirpata malum (cancer) ad alteram serpsit, sive axillares glandulas occupaverit; et postea: Si humorum constitutio cacochymica est, nihil iuvabit exstirpatio, quia in alia parte malum (cancer) facile repullulat.* *Conf. Med. rat. systemat. Tom. IV. Pars V. Cap. VI. pag. 259. 270.* Quod scabiosorum affectuum attinet recidivas, has sufficienter comprobant *Illustr. b. m. HOFFMANNI* iudicium, latum l. c. pag. 200: *Quae ex interna viscerum laeae oriuntur cutis vitia, non modo difficilius, et non nisi sublata visceris corruptela tolluntur; sed facile quoque renovantur et repullulant.* De scorbuti recidivis legi potest *Perill. v. SWIETEN Commentar. ad §. 1160. T. III. p. 626. §.* ut et *Illustr. b. m. HOFFMANNI Med. rat. system l. c. Cap. I. pag. 21. 22.**

SENNERTI Tractatus de *Scorbuto* pag. 142. EVGALENI de *Scorbuto morbo* Liber pag. 403. 445. Febres tandem malignas, imperfecte indicatas, recidivare testatur *Illustr. de HAEN Rat. medendi* Part. III. Cap. I.

2. Docent, in Schol. I. adnotata, ea, quae in §pho dicta sunt, observationibus conformia esse et magnorum Medicorum probari suffragio. Nunc vero de causis, horum morborum recidivas efficientibus, pauca quaedam adhuc adiciam. Quum omnes, recensiti in §pho, morbi ex vitioso quodam oriantur humorum motu intestino: nullum est dubium, quin omne id, quod huic favet, illorum ortui inserviat, atque hinc eorum recidivas determinare valeat. Quodsi ergo primo eiusmodi morbi ita sublati fuerint, ut materiae malignae et nocivae particula corpori aegro inexistere pergat: omne, quod commovet, aut motum humorum nimis reddit languidum, causam recidivae occasionalem suppeditat, neque denique minus id, quod, tanquam causa quaedam externa, copiam materiae resistentis adauget. Vfus itaque spirituosorum aut aliorum commoventium nimius; motus corporis excedens; aër humidus et nocivis particulis refertus; animi pathemata; carnes suillae, vervecinae, fumo atro induratae, ferinae; cibi valde nutriendi, potus aquae corruptae; vigiliae nimis diu protractae; excretionis naturales quacunque ex causa languelcentes et artificiales neglectae; debilitas corporis insignis, aliaque huiusmodi, recidivarum horum morborum ortui congruam praebebunt ansam. Quodsi autem secundo causa quaecunque horum morborum determinans in corpore relinquatur: omne tum, quod eandem adauget, aut virus ipsum corpori infert, novo morbi insultui dabit originem. Causae huc pertinentes, partim ex Pathologia, partim ex modo allatis perspiciuntur facile; quamobrem easdem recensere non opus esse iudico. Ut vero exactius haec omnia intelligantur, citati Schol. I. Auctores conferri merentur.

§. XXVIII.

Quum morbi cerebri, pulmonum, uteri et systematis venae portarum facile recidivent (§. XXVI.): inde colligitur, *apoplexiae, morbi comitialis, vertiginis, cephalalgiae, deliriorum chronicorum, haemoptyscos, phthisis pulmonalis, ruffis, vomitus cruenti, icteri, haemorrhoidum, haemorrhagiarum uteri, vitiorum circa fluxuum menstruum et abortus recidivas ad actum facile deduci.*

Optime haec celeberrimorum Auctorum stabiliuntur et suffulciuntur testimoniis. *Illustr. b. m. HOFFMANVS l. c. Tom. II. Sect. I. Cap. 17. §. XIII.* Schol. ita loquitur: *Recidivant nimiae per haemorrhoides, per pulmones, per ventriculorum pruritiones —. Recidivant quoque: — affectus apoplectici, capitis dolores —. Ipsa quoque experientia deprehendimus, quosdam ex morbis chronicis, qui sublati videbantur, recurrisse, ut icterum — phthisin, lucem veneream,*

ream, scorbutum — in foeminis maxime recidunt abortus. LOMMIVS, postquam Medicin. Observat. Libr. tert. p. m. 287. febres, quae facile repetunt, recensuerat, hoc adiicit: *Eiusdem ordinis sunt morbus comitialis, caligo, pertinax capitis dolor* —. *Illustr.* b. m. HOFFMANVS l. c. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. V. pag. 114. §. VI. post confopitam uteri haemorrhagiam roborantia uterina et visceralia usurpanda suadet, atque haec. ita dicit, *praeservandi causa ad arceendam recidivam.* Nonne eo ipso facile huius haemorrhagiae recidivam innuit? Tussim recidivare facile, comprobatur IDEM l. c. Tom. IV. Part. IV. Cap. III. *Medentem enim, inquit, partes labefactatas roborare oportet, quoniam facillimum est, reverti tusses.* Atque in adiuncta huic Capiti Observat. III. exemplum habet tussis catarrhalis, saepius recidivantis (pag. 328. 338.) Deliriorum recidivas faciles esse, patet ex illis, quae *Illustr.* HOFFMANNVS l. c. Cap. VIII. pag. 204. §. XXXI. adducit, ARETAEI sententia confirmatis. Vitiis denique fluxus menstrui recidivas quotidiana testatur experientia. Quod iam ad causas attinet, quae praeter adnotatam partium debilitatem, huicque saepe accedens in corpore haerens irritamentum, horum morborum provocat recidivas: sciendum est, quod huc generatim plethora, spasma, excretionis naturales languescens, aut suppressae, venae sectiones, scarificationes neglectae, fonticuli coacti, evacuationes humorum aliae cohibitae, spirituosa, cibi valde nutriendi aut malae concoctionis, aer frigidus, actis, nimis calidus humidusve, ira, terror, tristitia, refrigerationes, excessus in motu et quiete, in somno et vigiliis, potissimum pertineant, qua de re non solum citati iam Auctores, verum etiam celeberr. TISSOT Tract. de Variolis, Apoplexia et Hydrope, et *Perill.* v. SWIETEN variis Commentariorum locis consulendi sunt. Unde etiam tam subiecta, quam tempestates, haece recidivis maxime faventes, patent.

§. XXIX.

Paralyses partium facile recidunt necesse est. Notum est ex Pathologia, quod partes maxime debiles paralyticis affectibus corripiantur facile. Verum enim vero paralytis, licet curata, parti, cui inextiterat, insignem imprimat debilitatem (per Observat.). Paralytium consequenter recidivae frequentes esse debent. Vid. *Illustr.* b. m. HOFFMANVS l. c. Tom. II. Sect. I. Cap. VI. §. XIII. Schol. Quae cum ita fiat, atque cum morbi pulmonum tam facile redeant (§. XXVI.): perspicitur, *cur catarrhi suffocati insultus et asthmatis defectivi recidivae tam solennes sint?* Confer. *Illustr.* b. m. HOFFMANNVS l. m. c. *Illustr.* b. m. IVNCKERI Therap. spec. Tab. XXXII. pag. 138. n. 4. LOMMIVS l. c.

Qui causas paralyseos huiusque adductarum specierum rite perpendit: illum nec causae fugere possunt, quae praeter debilitatem ad determinandas horum

horum morborum recidivas concurrere possunt. Nihil interim magis catarrhi suffocativi, ut et asthmatis defectivi inservit redditum, quam commoratio in aëre humido et usus ciborum potuumque flatulentorum, aut quocunque modo nimiam ventriculi et intestinorum expansionem producentium, accedentibus praecipuis aliis causis, quae aetas, temperamentum, corporisque suppeditat habitus.

§. XXX.

Dolores a calculo, et Colicae, pertinent ad morbos recidivantes. Constat ex observationibus, quod calculus, quamdiu quiescit, dolores nullos procreet, quam primum vero irritetur et moveatur, saevissimos excludat cruciatus. Sequitur inde, dolores, a calculo excitatos, sopire nos posse, calculum vel excludendo, vel quietum reddendo. Quodsi prius, quod maxime optandum, contigerit: eiusmodi subiectum nihilo minus dispositionem ad calculum retinet, qui, ut fidae perhibent observationes, data quacunque, levi etiam atque alii subiecto non ita nociva, occasione, actu recrudesceat, atque, ex alia accedente causa commotus, eosdem, qui antea adfuerant, dolores accendit. Si vero dolores a calculo ita tantum sopiantur, ut, quiete calculi inducta, plane evanuisse videantur; tunc dolorum a calculo pendendum eo facilius contingere debent recidivae, quo certius est, quod causis, quibus e sede sua potest calculus moveri, tota ferme seateat vita humana. Nullum itaque est dubium, quin dolores a calculo recidivantium morborum sint inferendi catalogo. Colica vel flatulenta est, vel spasmodica. Illa a flatibus, debilia intestina expandentibus, haec a sero acri, sanguine stagnante, bile valde acri, aut nimia copia effusa, calculo, venenis, purgantibus et emeticis drasticeis exoritur. Quaecunque itaque colica intestinorum relinquere debet debilitatem, qua dein facile fit ut colica recrudesceat. Debilitas enim intestinorum efficit, ut sanguis copiosius ad canalem hunc adfluat; cumque inde secretio fluidorum fermentescibilium maior reddatur, hinc vero flatu generentur facile, quos nequeunt intestina debilia propellere: sequitur, colicam flatulentam, ob relictam intestinorum debilitatem, recidivare posse. Accedit, quod debilitas intestinorum impediatur, quo minus ciborum reliquiae iusto tempore expellantur, quae itaque nimium fermentantes aërem dimittunt, insita sua vi elastica, tono orbata intestina in maius distendentem spatium; unde iterum nascitur colica flatulenta, cuius consequenter recidiva ab intestinorum debilitate proficisci potest, idque citius adhuc, quando ciborum potuumque paululum flatulentorum accedit usus. Debilitas intestino-

D

stino-

stinorum caussatur, ut quidquid impuratum generatur in corpore, ad intestina feratur, nisi forsitan alia gravius agens caussa collectam in corpore nocentem materiam ad alia minus adhuc resistentia dirigat loca; dolores porro a calculo, et morbi systematis venae portarum facile recidunt (per anteced. et §. XXVI.); ipsa etiam debilitas caussa est stagnationum possibilis, et subiecta, ad iram proclivia, sat frequenter nimis effusionibus bilis torquentur. Verum ab his omnibus colica spasmodica originem suam sumit (per antec.). Quamobrem constat, colicam spasmodicam quoque recidivae intar redire posse. Sic ergo tota demonstrata est thesis.

Hiscæ respondent Observationes, Vid. LOMMIVS I. c. et *Illustr.* b. m. HOFFMANNVS I. c. Tom. IV. P. II. Sect. II. Cap. V. pag. 337. Causæ quoque recidivam horum morborum efficientes, perspicui-sufficenter possunt ex HOFFMANNO I. c. Cap. III. V. VI. quibus in locis de calculo felleo, de intestinorum doloribus, et de calculo renali differit Vir Illustris.

§. XXXI.

Asthma tam flatulentum, quam spasticum, morbis recidivantibus adnumerandum erit. Asthma, quod dicitur, flatulentum, ab aëre in intestinis collecto oritur, ut ipsum indigitat nomen. Flatulentia autem relinquit debilitatem intestinorum, unde de novo flatuum proficiuntur accumulatio (§. anteced.). Asthma generatim, hinc etiam spasticum, affectus est valde pertinax (*Illustr.* b. m. IVNCKERVS I. c. pag. 283. VI. I.). Morbi vero quo sunt pertinaciores, eo maiorem in parte, quam adfigunt, relinquunt debilitatem, atque debilitas caussa est spasmodorum redeuntium (§. XII.). Nullum ergo est dubium, quin ideo asthma spasticum facile recidivet. Praeter vero debilitatem, quæ novo asthmatis spastici ortui favet, id adhuc accedit, quod causæ huius morbi occasionales haud difficulter admittantur, refrigerationes v. g. congestiones, ebullitiones humorum, aëris nocivi inspirationes, et s. p.; accedit et id, quod multæ asthmatis spastici causæ cura tantum palliativa leniri queant, e. g. topi pulmonum, polypi cordis, etc. quibus itaque causis præsentibus non poterit non facile recurrere asthma spasticum. Vnde iam multiplici ratione propositionis elucescit veritas. Conf. *Illustr.* b. m. HOFFMANNVS I. c. Tom. II. I. c. LOMMIVS I. c. *Illustr.* b. m. IVNCKERVS I. c. pag. 283. n. 4.

Non uno eodemque modo asthma definiunt Pathologi. Alii enim in hoc definiendo pulmones, alii musculos respiratori inservientes, alii denique tam pulmo-

pulmones, quam musculos notatos respiciunt. Mihi vero periade esse potest, qualem tibi amplecti libuerit sententiam, quum thesis vera sit, five hanc, five illam probes opinionem. Nolo hinc etiam me huic immiscere disceptationi. Causae tandem, quae ortui tam statulenti, quam spastici asthmae inserviunt, intelliguntur partim ex dictis in §. anteced. partim ex Pathologia, quatenus haec causas asthmae determinantes recenset.

§. XXXII.

Luxationis ossium, eius praecipue, quae a causa interna subnata est, facilis recidiva esse debet. Ne ossa, in quibus possibilis est luxatio, locum suum contra sanitatis statum mutant: firma adsunt ligamenta, quibus ligantur et retinentur ossa. Quamprimum itaque haec ligamenta ita debilitantur, ut viribus, ossa e sede sua movere conantibus, resistere amplius sufficienter non possint, luxatio ossium contingit, cuius itaque causa ligamentorum debilitas est. Sub omni autem luxatione ligamenta, ossa firmantia, distrahuntur. Distractio partium causa est earum debilitatis (per Pathol.). Ergo omnis ossium luxatio ligamenta eorum debilitat. Debilitas vero novam luxationis suppeditat causam. Quamobrem luxatio ossium ad morbos pertinet recidivantes. Confer. §. X. Quoniam debilitatem ligamentorum sat frequenter inducat, sed etiam ipsamet modo recidivare possit, modo tolli integre nonnunquam nequeat: patet, quod ossium luxatio, a causa interna pendens, facilius caeteris paribus recidivare debeat, quam ea, cuius causa externa fuit. Vid. *Illustr. b. m. IVNCKERI Conspect. Chirurg.* Tab. LXIV. pag. 439. 2. Q. Motus quicunque paullo fortior ossium luxationi redeuntis ansam praebere potest.

§. XXXIII.

Peripneumoniae et Pleuritis recidiva frequenter accidat necesse est. Sedes peripneumoniae in pulmonibus est. Morbi pulmonum facile recidivant (§. XXVI.). Ergo peripneumoniae idem tribui debet praedicatum. Quodsi praeterea causas peripneumoniae efficientes (confer. BOERHAAVE Aphorism. de cognosc. et cur. morbis §. 824. 867.) consideraveris; elucescet, iisdem valde frequenter obnoxios esse pulmones. Tandem in peripneumonia idem, quod de Pleuride dixit *Perill. v. SWIETEN* (l. c. Tom. III. §. 891. pag. 48. 49.), cadere potest. Sub gravi enim peripneumonia vera saepe larga requiritur et repetita venae-

fectio. Corpus inde debilitatur valdopere, aegerque languidas vires affilantes nanciscitur. Obrutus ergo aeger hoc tempore cibis, ad perditas vires relarciendas maxime, ut credunt, necessariis, chylum crudum inde elaborat, qui pulmonibus dein illatus tenerrima horum viscerum obstruit vasa, quum neque subigi a debilitatis pulmonibus, neque ipsemet exilia eorum vasa congrue transire queat. Quum autem pulmonum obstructionem eorum inflammatio sequatur, ut ex Pathologia cognoscitur: colligitur hinc quoque, peripnevmoniam facile redire debere. In determinanda pleuritis sede in diversas abeunt partes Pathologi. Alii enim cum *Illustr. b. m. HOFFMANNO* sedem pleuritis in pulmonibus ponunt, hac ratione, ut inflammatio partium thoracis externarum dicatur *spuria*, quae vero membranosa pulmonum substantiae adhaeret superficiem, *vera* nuncupetur *pleuritis*. Vid. *HOFFMANNVS* l. c. Tom. IV. P. I. Sect. II. Cap. VI. pag. 426. 427. Hanc quidem sententiam inter complures alios amplexus est *celeberr. TRILLERVS*, in famigeratissimo illo de Pleurite tractatu, eandemque sectionibus anatomicis confirmare annisus est *Perill. de HALLER (Opusc. pathol. Observ. XIII)*. Alii contra ea, *BOERHAAVIUM* et *Perill. v. SWIETEN* sequentes, *veram* pleuritidem eam vocant inflammationem, quae ipsam membranam, costas interne succingentem, adhaeret; *spuriae* vero nomine illam insigniendam esse inflammationem arbitrantur, sub qua altius muscoli intercostales, externi imprimis, vel et his superiora laborant. Conf. *BOERHAAVE* l. c. §. 878. *Perill. v. SWIETEN* l. c. §§. 877. 878. Mei non est, tantorum Virorum dirimere turbas. Verissima est propositio, sive *HOFFMANNI*, sive *BOERHAAVII* theoria veritati sit consentanea. Quodsi enim ipsa pulmonum substantia pleuritis sedes sit: de ea idem, quod de peripnevmonia modo adduximus, valebit. Quodsi vero pleuram musculosque intercostales occupet pleuritis: notabilis in his partibus a pleuritide relicta debilitas, accedente causa quadam occasionali, novum pleuritis suscitabit insultum (§. XII). Quamcunque itaque arripias theoriam: pleuritidem posse haud difficulter recidivare largiaris necesse est. Causae occasionales, praedisponentem recidivae peripnevmoniae et pleuritis causam suscitantes, patent ex Pathologia. Conveniunt enim generatim cum illis, quae peripnevmoniae et pleuritis genesi congruam exhibent occasionem.

Dignissimum hic est quod ad confirmandam evictae huius propositionis veritatem adducatur *Illustr. b. m. HOFFMANNI* effatum, quod l. m. c. p. 432. §. XI. tulit. *Nulla, inquit, ex inflammationibus tam facile recidivat, ac fibris*

bris pueronica, praesertim quae paulo profundior fuit cum quodam abscessu. Mibi nota sunt exempla, ubi quidam vix convalescentes, inordinata diaeta, potu imprimis copioso vini meractoris, in eundem morbum, elapso vix mense relapsi, lethali plerumque eventu. Quin novi, inflammationem hanc, bis, ter, quater et pluries anno, eodem in loco, ubi primum constitit, recruduisse. De pleuritide idem testatur celeberr. TRILLERVS. Crebrius enim dicit corripuntur pleuritide, qui semel eadem decubuerunt. Confer. EIVS Succinif. comment. de pleuritide eiusque curat. p. 6. Aegrotus sextus, cuius historiam clatiff. Vir adiunxit, latam hanc sententiam confirmat. In hoc enim vix repressa pleuritidis symptomata, recrudere, cuncta (pag. 96.).

§. XXXIV.

Febres intermittentes, quartanae potissimum, ad morbos frequentissime recidivantes referri debent. Causa febris intermittens quotidiana et tertiana materialis in ventriculo et duodeno haeret, atque in eruditatibus hisce in locis collectis consistit; causa vero materialis febris intermittens quartanae est obstruens spissaque materia, in visceribus, cum vena portarum connexis propius, maxime delitescens. Quando febres intermittentes sublatae sunt, tunc vel ita curatae sunt, ut pars causae materialis adhuc restitit, vel ita sanatae fuerunt, ut causa materialis omnis e corpore eliminata sit atque expulsa. Ordiamur iam a casu priore. Notum est ex Pathologia, quod cruditates primis inexistentes viis, novarum eruditatum proventum caussentur, quodque obstructions facile sese extendant, idque tum potissimum, quando loca occupant, quae debilia struxit natura. Febres intermittentes oriuntur a eruditatibus primarum viarum, et a materia spissa, viscera potissimum, cum vena portarum connexa propius, obstruente, quae viscera magna praedita sunt laxitate. Quodsi itaque causa febrium intermittendum materialis ex parte adhuc relicta in corpore fuerit: fieri tum absque difficultate potest, ut, aucta successive huius materiae copia, febres intermittentes ipsae recrudescant. Consideremus iam posteriorem, quem adduximus, casum. Febris tertiana et quotidiana intermittens in duodeno et ventriculo debilitatem non minimam relinquunt necesse est. A debilitate partium, humorum pendet affluxus. Nonne hinc, sublatis dictis modo febrium intermittendum speciebus, sanguinis ad duodenum et ventriculum contingere debet affluxus? Sanguis ad loca haec allatus secretioni fluidi fermentescibilis destinatus est, quod sua acrimonia, quae forsitan in his, de quibus loquimur, calibus ideo adhuc maior est, quoniam febres intermittentes sales sanguinis potenter explicant,

plicant, appetitum excitat. Quo maior itaque est huius fluidi copia, quoque maiori fluidum ipsum imbutum est acrimonia, eo maior erit appetitus. Febris ergo intermittens et tertiana et quotidiana addephagiae causam relinquere potest, quod experientia egregie confirmat. Fac nunc, subjectum quoddam, in cuius corpore haec obveniunt, appetitui indulgere, id enim frequentissime fieri observatio docet: debilis ille tum ventriculus, viribusque orbatum duodenum ad concoquendam tantam ciborum quantitatem sufficere nequeunt; oriuntur hinc cruditates, foecundae harum febrium genitrices. Quod ergo tertianae et quotidianae intermittentes recidivae evenire queant, licet nulla causae materialis pars antea in corpore relicta sit, dubitari nequit. Verum et alio ex fundamento nominatarum febrium possibiles sunt recidivae. Constitit scilicet ex observationibus, quod irritamentum validius, subiecto vix restituto, ventriculo eius praepremis et intestinis applicatum, reditum eiusmodi efficiat. Noane id ex actione eiusmodi materiae in nervorum systema, maxime sensibile, unde solidorum motus valdopere intenditur, explicandum est? Certum saltem est, quod irritamentum, tam sensilibus admotum partibus, vere in nervos suam exserat actionem; neque minus exploratum est, quod nervis in alia solida agendi eorumque motus concitandi magna sit potentia data. Transeo ad febrem quartanam intermittentem. Morbi systematis venae portarum facile recrudescunt (§. XXVI.); quod itaque de febre quoque quartana valebit (per anteed.), accedente praecipue alia causa, quae obstructionem in hac vel illa venae portarum regione producit. Quum autem vena portarum longe debilior sit, quam ventriculus et intestina; quum sanguis, per eandem vehendus, in statu etiam sanitatis, tam spissus sit; quumque hinc, nato in hac vena quacunque ex causa debilitatis augmento, obstructiones generentur facillime: sequitur, quartanae praecipue recidivas frequentes esse oportere, idque eo magis, quo pertinaciores eiusmodi febres esse solent, et quo certius est, quod illa ipsa humorum inspissationem valeat successive inducere (*Perill. v. SWIETEN* l. c. §§. 100. 587. 753. pag. 143. 61. 522.). Sufficiens ex his omnibus, quod vera sit propositio, innotescit.

Quod febres intermittentes generatim morbis accensendae sint recidivantibus, affirmat HOFFMANNVS l. c. Tom. II. Sect. I. Cap. VI. §. XIII. Schol.; quod vero quartanae praecipue recidivent, *Illustr. b. m. ELLER* postum testimonio confirmare, qui in *Observat. de cognosc. et cur. morb. praesertim acutis* p. 101. febris quartanae recidiva nihil frequentius esse asserit. Patet vero ex
iis

iis, quae in Spho adducta sunt, cur clysinata aliaque cathartica, declinante febre tertiana et quotidiana incaute adhibita, harum febrium recidivas facile efficiant? cur cortex peruvianus recidivas febrium intermittantium, quartanae speciatim, impedire nequeat? cur refrigerationes corporis vix sublatam febrem intermittentem facile reducant? Confer. de his aliisque similibus SYDENHAMVS, HOFMANNVS Tom. VI. P. I. Sect. I. Cap. I. II. III. ELLERVS l. c.

§. XXXV.

Hydrops supponit tumorem, a quo in parte adfecta semper efficitur debilitas. Debilitas vero in corpore disposito causa est hydrops (per Pathol.). *Hydrops ergo recidiva possibilis est.* Fit dein saepe numero, ut hydrops a causis nascatur, quae eradicari artis ope nequeunt; quid? quod curatur hydrops frequenter ita, ut ipsa curatio causam illius suppeditet (quam saepe enim per validissima et heroica remedia sanatur?). Unde denuo colligere possumus, quod hydropes facile recidunt. Confer. *Illustr. b. m. HOFMANNVS l. c. Tom. II. l. m. c.*

§. XXXVI.

Differui hactenus de natura, ortu et causis morborum recidivorum, atque haec omnia ita confirmavi, ut neminem fore putem, qui de his dubitare posset. Nihil itaque in hac pathologica recidivarum consideratione superest, quam ut signa earum evolvere suscipiam. Quum autem supervacanea res esset, si recidivarum, quatenus sunt morbi, vellem describere signa. Haec enim suppeditat Semiologia pathologica: ea tantum nobis hic erunt recidivarum attendenda signa, quae recidivis, quatenus sunt recidivae, competunt. Huc vero pertinent primo ea, ex quibus recidivam morbi praeteriti metuendam esse patet; dein autem illa, quae prognosi recidivarum formandae inserviunt. De his consequenter tantum disputabo, missis reliquis, quae in Semiologia explanantur.

§. XXXVII.

Quum effectus a sua causa producatur: ab admissa, aut praesente in corpore morbi cuiusdam causa poteris concludere, morbum ipsum esse metuendum. *Quodsi hinc tibi constiterit, a praeterito morbo insignem relictam esse debilitatem; quodsi notum tibi fuerit, irritamentum corpori adhuc, quamvis sublatus sit morbus in speciem, inhaerere; quodsi tibi tandem innoverit, aegrum, vix sanatum, aut admisisse causam quandam morbi occasionalem, aut eadem laborare: metuendam esse morbi recidivam inde colligere poteris.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Hinc crises morborum imperfectae, insolitus post morbum remanens virium languor, adpetitus deficiens, aut enormis, tumores varii, excretiones a morbo languescences, tremores partium, morborum solent denuntiare recidivas. Crises morborum imperfectae indignant causas morbi partem corpori adhuc inesse; hinc futuram facile recidivam morbi inde deducere possumus (§§. VII. XV. et anteced.). Conf. *Prosp.* ALPINI Traët. *de praesag. vita et morte aegrot.* pag. 390. 391. 394. Quum virium insolitus languor insignem denotet partium debilitatem: inde quoque reversurae aegritudinis possumus signum desumere (§. ant.). Appetitus deficiens oritur vel a debilitate ventriculi, vel ab inertia liquoris gastrici, vel denique a causa, quae huius liquoris impedit secretionem. Quum liquor gastricus ciborum concoctioni inferviat: eius vel inertia, vel defectus cruditates in primis viis efficiet. Cruditates autem multorum morborum sunt scaturigines. A quacunque itaque causa post morbum nimis deficiens oriatur appetitus; hic semper tamen morbi recidivae signum est, atque id eo certius, quo magis verum est, quod appetitus defectus a causa morbi adhuc residua proficisci queat, atque per se corporis inducat debilitatem (§. anteced.). Vid. LOMMIVS l. c. Appetitus enormis pro causa agnoscitur vel nimis intensam ventriculi actionem, vel nimis acrem liquorem gastricum, vel denique cruditates ventriculum stimulantem. Quum prima harum causarum nequeat adesse, quando, sublato vix morbo, praesens est excedens appetitus: sequitur, eiusmodi appetitum, a morbo statim ortum, irritamentum quoddam, residens in ventriculo, indigitare. Praeterea irritans eiusmodi materia morbi praeterlapsi causa esse potest, semperque cruditatum causa est foecunda. Hinc ab observato enormi adpetitu in aegro vix sanato ad recidivae possumus concludere ortum (§. anteced.). Conf. §. XXXIV. Tumores varii vindicant sibi laxitatem partium, quid? quod, nati post morbum a residua huius causae parte excitari queunt. Recidivarum ergo metuendarum possunt esse signa. Praecordiorum et locorum, quae iuxta sunt, ut et faciei, maxime palpebrarum superiorum, tumor, perhibente LOMMIO, praeter caeteris huc pertinent. Languescences a morbo excretiones naturales non solum a relicta possunt debilitate pendere, sed efficiunt quoque, ut irritamentum corpori inferatur. Iure hinc recidivarum signis adnumerantur. Quum, testante iam GALENO, a facultatis corpus moventis infirmitate oboriatur tremor: hinc signum erit debilitatis et metuendae recidivae (§. anteced.). Conf. *Perill v. SWIETEN* l. c. T. II. §§. 627. 587. pag. 51. 55.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Quum sitis, spasmi, motus febriles, ardores, vigiliae nimiae, somnus excedens, nausea, ructus nidorosi, vel acidi, motus fluidorum languescens atque excretiones materiae minus rite coloratae, modo debilitatem, modo irritamentum, modo utrumque designent: nullum est dubium, quin, si haec post sanatum compareant morbum, inde ad metuentiam morbi recidivam concludere possis. Vid. LOMMIVS l. c. *Perill.* v. SWIETEN l. c. Tom. II. §. 587. p. 55.

§. XL.

Elucescit ex superioribus, quod morbi quidam facilius recidunt, quam alii, quod subiecta quaedam praecae caeteris ad recidivas morborum concipiendas proclivia deprehendantur, quod demum certa anni tempora recidivarum ortui quam maxime faveant. *Morborum itaque sanatorum, subiectorum, morbo antea adfectorum, atque anni temporum consideratio signa recidivarum futurarum suppeditare potest.* Vid. LOMMIVS l. c.

Signa recidivarum, haecenus recensita, sufficiunt ad primum illud, quod §. XXXVI. adduximus, momentum diiudicandum. Quae enim restant causarum in- et externarum, recidivas determinantium, signa, vel nostram non merentur attentionem, quum cuilibet patere queant, vel in Semiologia traduntur sufficienter, ut itaque iisdem immorari non opus sit. Nunc vero de prognosi recidivarum differendum adhuc erit.

§. XLI.

Vitae periculi, quod inferunt morbi, magnitudo debet procul dubio ex ratione morbi ad vires aegri diiudicari. Praecipit ita GALENVS in *Libr. de constit. art. medicae* cap. 18. Si ergo duo ponamus subiecta uno eodemque morbo adfecta, quorum unum debilius, alterum est robustius: necesse tum est, ut illud gravius, quam hoc decumbat. Si itaque unum idemque subiectum diversis temporibus eodem adficiatur morbo, idque hac ratione, ut primo robustius, dein vero debilius sit: tum morbus eo tempore, quo debilius existit subiectum, periculosior erit, quam eo, quo robore adhuc suo gaudebat. Quum ergo quilibet morbus vires aegrorum frangat; sequitur inde, ut morbus vix sanatus, et recurrens eodem impetu, periculosior esse debeat, quam antea. *Quodsi hinc recidiva eadem, aut maiori vehementia, quam morbus praeterlapsus, aegrum tentet, morbo tum ipso antea praesente periculosior esse debet.*

E

Quodsi

Quodsi contra ea multo minori atrocità morbi cuiusdam contingat recidiva, mitior hæc quoque esse debet, quam morbus, cuius est recidiva.

§. XLII.

Quo maior consequenter est causa; recidivam morbi suscitans, hinc quo debilius est subiectum, quo gravius et validius est relictum in aegro irritamentum, quo maior est causa recidivæ occasionalis, prædisponentem excitans, quo denique plures et potentiores ad recidivam determinandam aliæ concurrunt circumstantiæ: eo gravior, eoque periculosior erit recidiva. Quo minus vero hæc obtinent; eo mitior etiam sit morbi cuiusdam recidiva necesse est.

§. XLIII.

Patere ex §pho antecedenti potest, cur recidivæ autumnales, a vizio corporis graviori productæ, ut et eæ, quæ cito et frequentius fiunt, iis sint generatim periculosiores, quæ alio anni tempore, a causa magis externa tardius atque non sæpius contingunt. Conf. LOMMIUS l. c. pag. 287. 288.

Quamvis experientia testetur, quod non omnes morborum recidivæ majori vi, quam elapsi morbi, supati incedant; id nihilominus verum est, quod frequentissime vitæ humanæ graves insidias struant recidivæ. Conferri hæc de re merentur Auctores, in antecedentiis citati. Neque id mirabitur is, qui causas, quæ recidivis morborum originem dare possunt, attenta perlustrat mente. Cuius vero rei generali disquisitioni cum §phi anteced. satisfaciant, plura hic adnotare nolo, ne vel si pervacaneum, vel parum cum instituto meo consentiens negotium in me suscepisse videar.



CAPVT II.

THERAPIA MORBORVM RECIDIVORVM.

§. XLIV.

Therapia versatur circa morborum, corpus humanum adfligentium, curationem. Regulas hinc tradere debet, quibus aegritudines tam praecaventur, quam tolluntur. Therapia itaque morborum recidivorum methodum, qua corpus humanum et contra recidivarium insultus muniatur, et a recidivis liberatur, ostendat necesse est. Recidiva ab eo morbo, cuius est recidiva, quoad essentiam, non differt. Methodus ergo medendi morbi recidivae, actu iam praesenti, destinata, convenit eum ea, qua morbus ipse, qui recidivat, removetur. Quum iam in Therapia curationes morborum fusius suppeditentur: medendi methodum, quam sibi praesentes recidivae exposcunt, iure hic omitto, generali methodo recidivas praecavendi unice inhaerens.

§. XLV.

Debilitas et irritamentum, a morbo in corpore relictum, sunt, uti ex Capite priori elucescit, modo sufficientes, modo praedispicientes recidivarum causae; atque in ultimo hocce casu quaevis morbi, vel adhuc restans in corpore, vel externa admissa causa, vicem causae occasionalis subire potest. Cuius itaque recidivas morborum praecavere interest, ille sequentes debet attendere regulas:

- I. Cavendum est, ne irritamentum remaneat a morbo, atque debilitas, quam quilibet causatur morbus, nimium capiat incrementum;
- II. Causa morbi radicitus, si fieri potest, est exstirpanda, eoque est respiciendum, ut nova praecaveatur;
- III. Causae externae morbi evitandae sunt, aut si iam admissae fuerint, corpus ita est mutandum, ut inde aegrotans nullum, vel minus tantum patiatur damnum.

§. XLVI.

Calculus, corpora alia acuta, tumores, materia obstruens, massa acris, irritamenti munere funguntur. Ne ergo exinde morborum excitentur recidivae; eo omni opera arnitendum erit, ut haec, si adfunt, morbo quiescente, e corpore expellantur (§. anteced. n. I.). Quodsi autem fieri hoc nequeat: actio irritamenti in partes corporis minuenda erit et praecavenda, aut saltem damnum, ex actione illius metuendum, vel in totum, vel ex parte tantum imminuendum. Fieri haec possunt *per congruam victus rationem, per exactam regularum diaeteticarum observationem, per demulcentia, resoleventia, relaxantia, derivantia et sopientia remedia, per aequalem demique humorum distributionem.* Per se patet, ita hisce remediis utendum esse, ut aliis simul regulis therapeuticis fatisfiat; alias enim, loco minoris damni, maius facile inducitur.

§. XLVII.

Quando morbi, qui ex acrimonia fluidorum oriuntur, per imperfectas iudicantur crises, aut ita solvuntur, ut acris remaneat quaedam particula: fieri tum potest, ut recidivae eiusmodi morborum subnascantur. Patet id ex illis, quae in Capite priore dicta sunt. In curandis itaque huius farinae morbis eo respicere therapeutam oportet, *ut crises fiant perfectae, atque ut omnis materia acris e corpore expellatur. Excretiones ergo, quibus eicit haec materia potest, sustentari atque excitari debent; impedimenta, quae congruo earum successui obicem ponunt, removenda sunt, atque morbo etiam iam sublato, omnia evitanda sunt aegro, quae valent longuescentes inducere excretiones. Vires itaque aegri praecipue conservandae veniunt, atque caveat ipse aeger, ne nimis cito nocenti aëri corpus suum exponat.*

§. XXIII.

Debilitas, a morbo relicta, est vel laxitas nimia, vel rigiditas, vel ea debilitatis species, cuius causa est impeditus fluidi nervei in partes solidas influxus. Laxitas nimia exposcit *roborantia, adstringentia; rigiditas indicat laxantia, seu emollientia;* ultima tandem debilitatis species remedia sic dicta *nervina* sibi vindicat. Facile inde colligere possumus, quid Therapeutae agendum sit, qualiaque eligere debeat remedia, ut nimium a morbo residuae debilitatis praecaveat incrementum. Ne vero modo ob relictam morbi sanati causam, modo ob depravatam ciborum digestio-

gestionem nova debilitatis suboriatuſſa cauſſa; neceſſe eſt, ut Medicus in curanda hac debilitate tam reſiſtantiſſae cauſſae morbiſſicae, quam primarum viarum iuſtam habeat rationem. Alvus hinc erit expurganda et, quae ventriculorum, inteſtina et viſcera roborant, remedia uſurpanda. Cibi porro ſint expepti, non nimia in quantitate ingerantur atque ita modificentur, ut curationi modo huius, modo illius debilitatis reſpondeant. Fugiantur denique omnes cae cauſſae, quae quacunq; ex ratione debilitatem producere poſſunt, aër v. g. humidus, nimis calidus, motus corporis excedens aliaque.

§. XLIX.

Secunda, quae in praecavendis morborum recidiſſis attendenda eſt, indicatio (§. XLVI.), requirit, ut partim methodus medendi, cauſſis morborum, quatenus illae ſunt morbi, deſtinanda, regulis therapeuticis convenienter adhibeatur, partim vero nihil ab aegro admittatur, quod cauſſam morbi ſuppeditare poſſet. Vtrumque momentum ſuſius explicatur in Therapia, nimisque longum poſtulat ſermonem, quam ut a me in praefenti ſpecimine digne enodari queat. Quodſi interim fiat, ut cauſſa morbi integre tolli nequeat: conandum ſaltem eſt, ut, quantum fieri poſteſt, imminuatur atque aegri corpus ita diſponatur, ut ab acceſſu alius cauſſae, quacum non removenda ſufficiens morbi fit cauſſa, liberum maneat. Hac ratione v. g. circa polypos cordis, vaſorumque huic annexorum, atque circa tumores cerebri, quatenus ſunt palpitacionis cordis et apoplexiæ cauſſae, verſari debemus.

§. L.

Quod ultimam denique attinet indicationem (§. XLVI.): ei generatim hoc modo ſatiſfacere debemus, ut ex cognita morbi et cauſſae externae, in corpus aegrum agentis, natura determinemus: an cauſſa illa, ſi admittatur, corpori aegro conducatur, aut noceat, et quanam ſint maxime convenientia remedia, quibus damnum, ab admiſſa iam eiſmodi cauſſa externa productum aut metuendum, tolli aut praecavari poſſit? Sic qui morbo, ex orgaſmo humorum oriundo, laboravit aeger, ſpirituofa evitare debet, quoniam haec, ſi ingerantur, orgaſmum efficiunt. Quando vero aeger uſui eorum iam indulſit, temperantia adhibenda ſunt, ut horum auxilio excedens fluidorum compoſcatur motus. Quum vero adeo diverſa ſit morborum et cauſſarum externarum natura: facile perſpiciet quilibet, pauca tantum generalia praeccepta tradi hic poſſe, niſi forſitan

forfitan eiusmodi iadolis huc referantur regulae, quarum veritas primis innitur cognitionis humanae fundamentis. Vnicum autem dari hic potest maxime utile praeceptum, ex quo alia absque difficultate derivantur. *Caveat sibi scilicet aeger a quocunque vitio diaetetico.* Vitium enim diaeteticum cuilibet quidem, illi tamen praecipue nocet, qui debilis est. Nisi ergo vix sanatus homo regulis diaeteticis morigerum se praebet; fiet facile, ut modo curati morbi patiatur recidivam, quae eo certius eveniet, quo citius a morbo patrat et quo magis morbo favet eiusmodi peccatum. Inprimis vero eas, quae animi pathemata, aërem, cibos et potum respiciunt, regulas diaeteticas observet subiectum adfectum; vitia enim circa harum rerum usum quo facilius admittuntur, eo tristiores sunt, qui inde in corpus redundant effectus. Si vero contra has regulas iam impeerit aeger: noxa inde metuenda, praecavenda est per appropriata remedia, quae inter eminent quies, abstinentia, temperantia, obvolventia, roborantia, evacuantia, derivantia et alia, quae ex natura morbi, a vitijs istis subnati, et therapeuticis fundamentis facile in casu quodam obvio eruantur.

§. L.

Finem nunc huic scriptioni imponere possem, quum iis etiam, quae practica mei argumenti pars requirere mihi videbatur, satisfecerim. Vt vero traditarum §. XLVI. regularum veritas atque utilitas eo magis innotescat: iuvabit easdem ad specialem quandam adplicare casum. Finge itaque tibi haemorrhoidarium, in quo tamen ob spasmos, quibus torquetur, haemorrhoides minus rite fluunt; contingent hinc sanguinis versus caput restrictiones indeque oriundi frequentes insultus apoplectici. Quaeritur, quid faciendum, ut hi praecaveantur insultus? Causa eorum duplex est in proposito casu, spasma nimirum cum haemorrhoidibus coniuncti, et debilitas vasorum cerebri hincque pendens restricti sanguinis affluxus. Vt ergo isti praecaveantur insultus: efficiendum est I. ut spasma minus vehementes evadant; II. ut caput roboretur et congestiones sanguinis versus encephalum imminuantur. Primam indicationem adimplent antispastica, cum iis nonnunquam coniuncta, quae haemorrhoides hac ratione promovent, ut neque spasmi, neque congestiones versus caput adaugeantur. Aegro dein commendandum est moderamen respectu animi pathematum, irae potissimum et terroris; aëre temperato, cibus minus flatulentis et obstuentibus, potuque utatur tenui; excretio alvina libera

libera semper sit, motus corporis moderatus instituat, vigiliis non nimium indulgeat aeger, solemnes demum excretiones neque supprimat, neque negligat. Ad alteram indicationem spectant roborantia tam inquam externa, ita tamen comparata, ut congestio sanguinis inde non increfcat, ea porro remedia, quae sanguinem a capite derivant et caussas novae congestionis arcant, hinc venaesectio, pediluvia non nimis calida, aliaque genio morbi accommodata derivantia. Evitet praeterea aeger non solum animi pathemata, cibos flatulentos et reliqua, quae ipsi vitanda esse modo docuimus, sed aërem quoque frigidum, calidum et humidum, potum spirituosorum et cerevisiarum commoventium, motum excedentem, somnum nimis diu protrahendum, cibosque nimium nutrientes, neque eos tandem cibos, qui conducunt, magna ingurgitet copia. Methodi huius, insultus apoplecticos in adducto casu praecavendi, dignitatem saepius testata est experientia, ut ex Practicorum monumentis adparet. Sed respondet quoque regulis superius evictis, quarum itaque veritatem confirmat. Possum nunc congrue huic
Dissertationi addere colophonem.



PRAE-

PRAENOBILI ATQVE ERVDTISSIMO

C A N D I D A T O

I. A. DE SEGNER

S.

Nondum longe recessimus a die, quo repente conspecto amico, quem magno itinere a nobis seiunctum putavi, gaudium, quale diu non senseram, me adeo occupavit, ut ne id quidem succurreret, causam reditus TVI ad nos non aliam esse, quam vt in perpetuum, et nobis et Germaniae omni, vale diceret. Nunc, cum praemia TIBI parari video, quorum collationem proxime plerumque sequi solet abitus eorum, qui ita condecorantur: si ad me solum respiciam, quin in contraria movear, prohibere vix possum; aliquid certe haec expectatio a gaudio meo detrahit. Redeundum tamen TIBI in patriam est, si illi inprimis eruditionis atque experientiae opes, quas vndique cumulasti, velis impertiri. Et quid patria dulcius est; quae civitas, cui operam impendamus, dignior? Satis diu vixisti a TVIS seiunctus, in Valachia priuatum, graeci sermonis causa, per quem omnis ad nos elegantia, omnis philosophia, derivata est: deinde in vrbe hac, cum ut ipsius philosophiae studio, matheos inprimis et physicae, mentem percoleres, tum ut medicinae solidam TIBI comparares scientiam: postremo in Austria atque Italia. Non enim iis eruditionis adminiculis contentus esse voluisti, quae vna academia TIBI potuit offerre; verum, quoscuque Viennae, Bononiae, Florentiae, Venetiis viros offendisti, ex quorum institutione vel colloquio fructum capere, vel quorum manducatione uti poteras, per eorum omnium studia eruditionem TVAM augere ac evehere es conatus. Quod qua diligentia feceris, mihi potissimum coniectari facile est, qui cum toto eo tempore, quo inter nos versatus es, TE auditorem viderim acutum et assiduum; cum reduce, non quam saepe volebam, sed aliquoties tamen, non contemnendi argumenti sermones habui. Haec quum considero, TVI causa etiam nunc laetor, quod difficillimis temporibus belli, nuper demum per Dei gratiam plane compositi, tutus inter nos vixeris; quod itinerum pericula saluus evaseris; quod, voti TVI plane compos, patriam possis revisere. Gratulor etiam TIBI honores academicos, quos expectas: postremo, facta quaevis cum TIBI precor, tum TVIS, me autem memoriae TVAE atque auro commendo. Halae d. 23 Martii, 1763.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE PRAECLARE DOCTO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER,

FACULTAT. MEDICAE SENIOR.

Quamvis multorum iuvenum acquiritam in Academiis bonarum artium scientiarum temporis illius spatio, quo in iisdem commorati sunt, dimetiri neque possimus, neque debeamus; de illis tamen, qui neque naturam experti sunt novercam, neque cruda in Academiis propulerunt studia, non sine optima ratione suspicamur, quod magnos fecerint progressus, quando plures annos in istis sapientiae locis emensi sunt, semperque ita se se gesserunt, ut eosdem praeterlapso temporis nunquam poenitere queat. Horum quidem numero, si quis alius, certe tu, Praenobilissime Candidate, accensendus es. Postquam enim per quinquennium in Regia nostra Fridericiana, tam in Medicinam, quam in alias scientias, invidenda incubueras diligentia, morumque tuorum integritate omnibus tuis te commendaveras Praeceptoribus, nos relinquere, atque Viennam variasque famigeratissimas Italiae Academiis adire decrevisti, ut quidquid posses boni tibi colligeres. Reversus dentum ad nos, integro elapso biennio, summosque in arte salutari ambiens honores, talem te in sollempnibus praestitisti examiniibus, qualem te futurum ex insigni tua diligentia augurari iam licebat. Atque nunc publicum tuae eruditionis documentum, hanc puta Dissertationem inauguralem, edidisti, cuius materiem, maiori explicatione dignam, ita pertractasti, ut, qui de rebus medicis iudicare possunt, iure te praemium, quod Ordo noster tibi decrevit, mereri, lubentissime profiteantur. Gratulor hinc tibi summos illos propediem in te conferendos honores, optoque ex animo, ut iisdem, superato feliciter longo itinere, in patriae tuae, reipublicae, orbis literati, et proximi afflicti, splendorem, utilitatem, incrementum et prosperitatem, diutissime tibi frui contingat. Curabo ego, ut in te exornando augendoque studium meum nunquam possis desiderare. Vale, meique memor semper vive! Dab. Halae Magdeburgicae, 3. XXVI. Martii, MDCCLXIII.

SVMMS IN MEDICINA HONORIBVS
C A N D I D A T O
DIGNISSIMO

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI

Licet nunc, quum omnia iam iam sint in festinatione ad laureandam diligentiam tuam, variis negotiis implicatus sim: non potui tamen hanc occasionem sine ulla publica animi in TE mei testificatione praetermittere. Maximo adhuc cum animi oblectamento illius temporis reminiscor, quo mihi primum innotuisti; innotuisti vero praeclaris factis. Illius enim consilii sapientiae plenissimi memor eras, quod Medicinam profiteri volentibus magnus olim dedit HIPPOCRATES, Geometriam et numerorum scientiam addiscendam esse contendens, antequam ad Artis salutaris tractationem accederetur. Cessis ab hoc mathematicum studio ingenii et iudicii augmentis, ad Medicorum dogmata percipienda illorum scholas frequentasti, et quidem ita, ut optandum foret, si etiam ad plures alios laudabile exemplum tuum iret. Non detrectabunt id de TE honorifice testari praeceptores tui. Et quod praecipue ad me attinet, iusto longiorem me in TE laudando esse oporteret, quam permitterent epistolae angusti limites, si omnia, quae mihi de TE constant, acquisitae doctrinae medicae momenta nunc enarrare vellem. Sed hic nondum acquievisisti; dum ulterius processerat ardor tuus in discendo. Relicta ante hos duos annos Fridericiana, ad alias Germaniae et Italiae academias discessisti, inde huc iterum redux, cursum academicum absoluturus: instar laudabilis exempli apum, quae non in uno prato flores ad mel conficiendum idoneos carpunt, sed etiam in pluribus aliis, iisque remotissimis locis vagantur, tandem ad alveare redeunt, quicquid retulere, disponunt ac per favos digerunt. Macte ista virtute esto! De Doctoris dignitate ab incluto Medicorum Ordine in regia Fridericiana meritis tuis decreta, atque in TE propediem publice conferenda. TIBI etiam atque etiam gratulor; subiuncto voto verissimo, velit DEVS T. O M. hoc honoris accrementum bono publico, TIBI atque ornatissimae familiae tuae felix fortunatumque fieri! Vale meique amicum memoriam conserva! Dab. in Acad. Frider. VII. ante Cal. April. MDCCCXXXIII.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO

A M I C O S V O

S. P. D.

D. IOANNES CHRISTOPHILVS KEMME.

Quas TIBI nunc inscribo litteras, AMICE PRAESTANTISSIME, non ideo exarari scias, ut laudibus TE exornem atque inanis meritorum TRO-
RVM praeconis in me suscipiam personam; sed ut publicum mei erga TE amoris
et mutuae nostrae amicitiae stabiliam monumentum. Quinque fere elapsi sunt
anni, ex quo et amicitia et aequalis studiorum ratio nos coniunxit. Recordare huius
temporis, AMICE OPTIME, quod sua se mihi suavitate tantopere commendat,
ut unicui ferme multarum acerbitatum mihi adferat lenimen. Quam dulce nobis
hoc, quam utile erat tempus! Quam dignum itaque nostra recordatione! Derelin-
quens vero nos ante biennium, distitas adiisti regiones, ut, quod TVA TIBI in
aliis Germaniae variisque Italiae urbibus dignum videretur annotatione, in TVA
adversaria TVO sive hinc usus conferres. Licuit mihi firmissima haec TVAE dili-
gentiae monumenta, quae nulla, ut celebrentur, indigent verborum pompa, vide-
re, postquam, instructus omnibus eorum virtutibus, qui itinera fecerunt, carens
simul illorum vitiis, nos denuo salutaveras. Quanta vero laetitia perfusus sum,
quum tunc charam TVAM amicitiam TE mihi conservasse perspicerem, verbis
exprimere non possum. Nunc iam in eo est, ut indefessae TVAE diligentiae mer-
cedem reportes. Coronaberis doctorali dignitate, defenso inaugurali TVO Speci-
mine, quod acquisitam TVAM in arte medica scientiam comprobatur lucu-
lentissime. Gratulor TIBI quam maxime de promeritis his honoribus! Vtere iis-
dem diu! Saluus in patriam, quae TE expectat, redi! Nostrae demum mutuae
amicitiae memor, TVVM erga me amorem numquam deponere. Ego quidem in
posterum quoque, ut hactenus, in TE amando TIBIQUE et Fratri TVO carissimo,
qui TVA premit vestigia, inserviundo nemini cedam. Vale! Dab. in Academ. Fri-
deric. die V. Calend. April. c180cclxiii.



ERRATA QVAEDAM

Pag.	lin.	pro	lege.
5	3	comprehendes	elucescet
6	5	hoc	haec
9	8	similes	similem
17	penultim.	proportionata	proportionato
—	27	in eadem	in has, eadem.
18	8	solidarum	solidorum
19	22	numero	e numero
21	6	Vt	quod
25	6	quae	quas
27	28	Quoniam	Quum
30	26	quumque	quumque,
32	37	haec	hic
38	23	contingent	contingant.

Dis. med. Halle,
Med. Diss.,
6. 1758-68.



56

Rho ✓



27

GENERALEM
RECIDIVARVM

PATHOLOGICO-PRACTICAM
CONSIDERATIONEM

PRO

GRADV DOCTORIS

MORE SANCITO IMPETRANDO

EXHIBET

EAMQVE CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

DIE XXIX. MARTII MDCCCLXIII.

H. L. Q. S.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVBlice PROPVGnabit

SA WAS GORGOLIVS

NATIONE GRAECVS,

NIZNA - VCRAINENSIS.

HALAE AD SALAM,

PRELO IOANN. GODOFRED. TRAMPIL.

